

maniae consuetudinem; quã plerisque in locis adulteria, etiam si perpetrata, capite non puniuntur. An conatus assassinii puniendus? Vide *Lud. Gilh. in arb. jud. par. 1. c. 6. §. 17. n. 5. 6. 8. p. 313.* An incendiarius propter affectum & effectum pœnâ ordinaria afficiendus? consulendus *Berlich. d. part. 5. concl. 24. n. 41. cum seqq.* An in crimine Sodomiae solus affectus sine effectu? consule *Kitzel. in Synops. matr. c. 3. Theor. 1. k. in fin. Iust. Mejer in Colleg. Argentorat. lib. 48. tit. 5. concl. 26.*

ARTICULUS CLXXIX.

Delinquentes per ætatem, aut furorem.

Pueritiam, seu impuberes ferè cum mente captis comparant, *Gobler. hïc in auctar.* Sed vide notata *ad art. 164.* ubi remissivè trado, quomodo per ætatem delinquentes puniendi. De furiosis, qua pœna illi afficiendi plenè agere possem, & furoris plures sunt species, ut videre etiam latissimè est *ex Prosp. Farinac. part. 1. fragm. crim. in voce furoris, n. 218. confer 1. Samuel. 21. v. 13. 14.* Furoris species quoque perhibetur esse, si quis amore capitur, *Harpp. in §. 1. Inst. de inoff. testam. n. 21.* sed memor mei propositi, ultra septa mihi non placet transilire, ut proverbialiter loquar. Non tamen intermittere possum hïc casum proponere, quem (proh dolor) in principatu G. contigisse mihi retulit F. G. D. Mater quædam ex pura putata melancholia, sive atra bile, quæ pestifera est, & sæpè alienationem mentis inducit, non suam tantùm, sed & liberorum vitam sibi acerbam putans, in puteum tres dejecit filias, & ita eas interfecit, postea se quoq; præcipitem dedit in eundem, & salva & incolumis est extracta, & carceri mancipata, deinde quæsitum fuit, qua pœna esset afficienda? J. Cui L. capitis pœnam, sed D. G. & D. H. mediam viam elegerunt, & mitiorem pœnam dictarunt, & quidem ex hac causa, quod avia & mater ipsius fuerint valdè melancholicæ, & forsan hic morbus tanquam hæreditarius derivatus in hanc peccatricem. Solent enim melancholici semina ipso materno sanguine & lacte non rarò quasi per traducem transmitti, ut tradit *Responsum Iuris in ardua quãdam & gravi causâ concernente processum quendam contra sagam nulliter institutum, q. 2. p. 41. n. 236.* Vide omninò *Petr. Forest. lib. 30. obs. medic. 12. & 13.* de hac melancholica materia absq; ulla melancholia disifferentem, & allegatos *Dd. à Petr. Heig. part. 2. q. 38. n. 20. 21. cum seqq. multis.* Propositum, & lacrumis deplorandum casum quod attinet: Ego matrem prædicto modo delinquentem non absolvo, & à tam immani parricidii crimine planè puram pronuncio, nec tamen ei capitis pœnam dicto. Manifestus enim furor à parricidii pœna planè non excusat; attamen extraordinariè punitur, *l. Divus, 14. ff. de offic. Præs. l. pen. §. ult. ff. ad L. Pomp. de parric.* Eleganter hac de re *Dn. Herm. Göch. amicus meus, part. 3. peric. 6. q. 33. per tot. Iohan. Grivel in decis. Dolani Senatus, decis. 33. nu. 26. 27.* Placuit igitur media sententia, ut fustigatio cum perpetua relegatione dictaretur, sic tamen, ut prius ad aliquod tempus carcere detenta ex verbo Dei per Ministros Legis & Evangelii diligenter de errore suo admoneretur, & à despe-

despe-